QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. NOVEMBRIS, MAGISTRO LAZARO PENA, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An fœtus nutriatur ſanguine menſtruo? 687

NATVRA, viuentium licet opifex & ſollicita parens, eadem opificij ſui tandem faſtidioſa, fatalis excidij labem ſubminiſtrat: vt hîc ortus, ſic illic interitus cauſa; ad illum vltro, ad hunc nunquam tendit. Omne viuens omni ſui parte alitur, & ei perpetuo triplicis ſubſtantiæ diſpendium, in tutelam totius reſarcitur animâ ipsâ, quæ & ſi à naturâ ipsâ ſanguinis ſuauiſſimi cremore, & ſubtiliſſimo eius nectare, in his carceribus retineatur, venenum tamen latentis fati nouerca, ſenſim porrigit alimentum quo vicinius, vitam magis ſuſtinet.

ELEMENTA non alunt, lapis, metallum, & quodcunque vitâ caret, non faceſſit in hominis alimentum. Poëticum eſt, & ideò mendoſum, quod chalybe ſtruthio, quod prunis ſalamandra, quod vento vel arenâ volucres & piſces. Ex omni in ventriculum ingeſto cibo, chylus paratur, idque natiuo igne, & inſito robore: è chylo fit ſanguis, qualis ille, talis iſte. Sanguis indiuidui ſingularum partium nutricatui, & incremento, primo comparatus, ſui reliquias conficiendo ſemini & proli propàgandæ concedit: eius ſeminis opifex teſtis: teſte execto, mas fit femina: femina coit, & aquam prolificam in proprium vterum eiaculatur.

VT ſemen femina, ſic & ſanguinem menſtruum, fœtui conformando & alendo effundit, vt vt purum: ſed viri calore, fœcunditate, craſſitie, longè inferiorem. Inchoantibus & expurgatis menſibus, conceptibus patet tempus opportunum, vterus pruritu ſanguinis delabentis laceſſitus, aut onerosâ ſpurcitie delapſi, leuatus, in libidinoſa furit & homunculum meditatur: illic naturæ vis & amor, & ſi quid vſquam cupidinum in medullis colligitur.

ANIMAL obſcuri ratiocinij, pigros frigidioris maſculi calores incendit, & ſitibundum ſuccos ſpermaticos exugit. Conflato idolo, ardens natura cibos vndelibet operoſè coquit, in ſubſidium alendi ſui compendij: venæ parentis exuctæ languent, & macies ſubitò habitum demolitur. Vt ex ſeminum miſcella partes ſpermaticæ, ſic ex affuſo ſanguine, carnoſæ & parenchymata: à ſemine in ſpermaticis, calor & humor infixus: à ſanguine in carnoſis, calor & humor influens. Si vtero gerat marem, coloratior eſt: ſi feminam, decolor. Prægnantis indicia non à ſubliuidis oculis, non à facie lentiginosâ, non ab vrinarum hypoſtaſi ad inſtar lanæ carptæ, non à validiori arteriæ diaſtole & ſyſtole: ſed à motu fœtus, in omnem abdominis partem, circa menſem quartum deſumuntur.

ABS ſanguine non eſt humor alibilis: pabulum genitricis & geniti: in iecoris officina temperiem adeptus, extra vaſa parentis in omphalum homunculi traiectus, alit non concretus: ibi, bonitatis ſuæ inſignia excellentiora, dulcedinis, ruboris, puritatis, æquum tenellos matrum partus delicatiſſimo confoueri: ſtatis excernebatur periodis, repente prægnanti comprimitur in fœtum: quo excluſo reſilit ad mammas. Non datur oſculum excipiendi ſanguinis in vterum, præter embryonis: augetur in dies affuſo ſanguine.

Ergo ſanguine menſtruo fœtus nutritur. 135.

Proponebat Lutetiæ GEORGIVS IOVDOVYN, Rothomagenſis. Anno R. S. H. 1626.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. GVILLELMVS BELET. P. R.
M. NICOLAVS RENIER.
M. IOANNES DE BOVRGES.

M. VALENTINVS HIEROSME.
M. LVDOVICVS ROBILLART.
M. FRANCISCVS BOVIONNIER.

M. SIMON BASIN.
M. NICOLAVS PIETRE Decanus.
M. IACOBVS COVSINOT.